

Clarissimæ eruditionis summarumque  
virtutum viro  
Martino Opitio  
H. Grotius.

Legi summa cum voluptate epistolam, ut omnia tua pereruditam, datam VIII. Aug.<sup>1</sup> cum ea accepi et Annonis laudes<sup>2</sup>, dignum servatu<sup>a</sup> Germanicæ antiquitatis λείψανον. Est autem mihi id donum eo gratius, quod quicquid negotiis subduci potest temporis id non rebus tantum sed et vocibus nominibusque Gotthicis<sup>b</sup> et Vandalicis tribuam<sup>3</sup>. ad id opus magno mihi usui esse possunt Gloſsaria Gotthica<sup>c</sup> aut ob consanguinitatem sermonis Germanica, si qua haberi possunt præter ea, quæ Pithæus, Lindenbrogius, Goldastus, Vulcanius, Spilmannus<sup>4</sup> dedere. Juvisti me ergo et ut porro juves rogo. Ancile<sup>5</sup> ubi illud certum est quærere<sup>d</sup>. Liber noster de Veritate Christianæ Religionis<sup>6</sup>, qui tibi plurimum debet, nunc et Anglice<sup>7</sup> loquitur. Constitui novam ejus editionem<sup>8</sup> procurare ad finem αὐτολεξιῆ<sup>e</sup> testimoniis ad quæ respicit liber. Molior et novam editionem de Jure belli et pacis<sup>9</sup>, cum ingenti auctario testimoniorum et veterum et recentiorum. Accepi libros ex Anglia bonos: Theophylactum in epistolas Paulinas<sup>10</sup>: historiam et Acta motuum Scoticorum<sup>11</sup>, qui nondum bona fide consederunt, edita rege auctore, qui æquitatem in hac re suam humano generi testatam facere voluit: Richardi Hookeri<sup>f</sup> Puritano-mastigis<sup>12</sup> et quæ edita antehac et ἀνέκδοτα quædam, digna sane lectu. Ac ne me putes Britannicis tantum liberalitatibus locupletari, etiam a Roma cardinalis Bentivolius<sup>13</sup> misit ad me operis sui de bello Belgico<sup>14</sup>, partem tertiam. Non multo ante indidem Roma acceperam minuta quædam philosophorum Græcorum opuscula Demophili, Democratis, Secundi<sup>15</sup>, Sallustii<sup>16</sup>. Nunc Heinsii notata ad Novi Federis libros<sup>17</sup> exspectamus, quibus conspectis ego quoque<sup>g</sup> mea ad quatuor Evangelia<sup>18</sup> editurus<sup>h</sup>. Salmasius in secundo de Usuris libro Heinsiana multa depectet<sup>19</sup>. indictum enim jam bellum est: neque inter eos pax facilius repertu quam inter Gallos et Hispanos, aut nos et imperatorem. Quæstiones Romanas<sup>20</sup> non vidi, nec quis eas nunc scripserit, novi. Minime spernenda esse Catonis illa disticha<sup>21</sup>, magnis auctoribus Scaligero et Opitio, consentio. de Istro apud Puteanos<sup>22</sup> meminero. Res Banerianæ<sup>i</sup> sane pulchræ sunt<sup>23</sup>. neque exiguum in defensione Livonia decus. Gaudeo regem Poloniæ<sup>24</sup>, ut magnitudinem ipsius decet, stare pactis induciarum. Princeps Casimirus<sup>25</sup> jam in itinere est ad Silvam Vicennensem, mitiorem hic habiturus custodiam, et optimam spem libertatis, ad quam operas suas iungent Legatus Polonicus<sup>26</sup> qui hic exspectatur et Anglicus<sup>27</sup> qui hic est ac permutatione Roberti principis Palatini<sup>28</sup> sperat utriusque negotium posse transigi, quod sane velim. mandata quicquam agendi contra Principem [29v] Casimirum nunquam habui. et sine mandato gravare infelicium fortunam non esse mei ingenii recte sentis. Si Turca<sup>29</sup>, quod huc<sup>j</sup> scribitur, pacem cum Persa<sup>30</sup> confectam habet, in periculo erit Creta, et si quid præterea in mari Ægæo tenent Veneti, quibus implacabiliter Sultanus irascitur. Id bellum, ni fallor, ab Hungarico latere tutum præstabit Imperatorem: dubitoque an ibi quiescente Turca, moturus se sit Rakozius<sup>31</sup>; quod tamen valde optari scio ab Hungaris Protestantibus. Magna per Italiam accepta a Gallis vulnera non tam sanarunt quam obduxerunt factæ illis in locis induciæ, quæ si pupillum ducem<sup>32</sup> matremque ejus